

Ibid.: „Talis enim non accipit illa beneficia Christi“⁷⁵

Quantum ad formam articuli de iustificatione attinet, recte quidem inchoat autor libri *Interim* a peccati agnitione pariter et detestatione iustificationis articulum, ut prima pars poenitentiae fidem ordine praecedat, sed fidem intelligit notitiam historiae et assensionem promissionum seu considerationem tantum misericordiae Dei, cui notitiae totam hominis conversionem tribuit sine vera fiducia in mediatorem Christum, tametsi frigidam de fiducia mentionem facit et eam paulo post non extenuat solum, sed prorsus destruit per hoc, quod iustitiae inhaerenti veram tribuit iustificationem. Porro manifeste distinguit inter fidem et fiduciam in hunc modum, quod fides sit sine dubitatione, fiducia vero cum dubitatione. „Per quam“, inquit, „homo sine haesitatione credens scripturis sanctis et promissionibus, quas eadem afferunt, assentitur.“⁷⁶ De fiducia vero infra dicit folio 7: „Homo non potest sine dubitatione credere peccata sibi remissa esse.“⁷⁷ Quis hic non videt autorem libri *Interim* magis destruere quam aedificare ecclesiam, quam Deus acquisiuit sanguine suo, Act. XX⁷⁸ Vt enim fidem intelligit notitiam historiae, non fiduciam in mediatorem Christum, ita satis intempestive confundit iustitiam inhaerentem, quae fit oboedientia hominis, cum iustitia Christi, quae sola coram Deo valeat, cum omnis fidelium oboedientia, virtutes et bona opera fructus sint et effectus, non ad iustificationem concurrentes, sed iustificationem gratuitam sequentes, quae nec charitate, nec spe, nec fide in Iesum Christum constat, sequi quidem debere omnia illa, spem, charitatem, opera, virtutes etc. Sed ea concurrere ad iustificationem, id cum tota scriptura sacra pernegamus. Esto quod fidei spes et charitas non subtrahantur et sine his illa existere non possit – sicut reuera potest, si tantum historicam fidem cum autore libri *Interim* intelligamus, quam etiam diaboli sine charitate habent –, tamen vera fiducia in mediatorem Christum, etsi nunquam sit sine spe et charitate, tamen sola sine illis apprehendit misericordiam Dei [95:] et meritum passionis Christi. „Qui enim credit in Christum“ – non statim addit: qui sperat, qui diligit – „habet vitam aeternam“⁷⁹ et diuus Paulus custodi carceris inquit: „Crede in dominum Iesum et saluus eris tu et tota domus tua“,⁸⁰ Actor. XVI. Item Act. XIV: „Exhortantes, ut permanerent in fide“.⁸¹ Tam pure scriptura loquitur, ut semper et ubique, ita maxime in loco iustificationis, ut fidem illic separet a spe, charitate, virtutibus, operibus, exercitiis etc. Et tamen verum est, quod Ioannes inquit: „Qui non diligit, ma-

⁷⁵ Augsburg Interim VI, 49; Augsburg Interim (Ulhart), B 4v.

⁷⁶ Augsburg Interim VI, 51; Augsburg Interim (Ulhart), B 4v.

⁷⁷ Augsburg Interim VIII, 57; Augsburg Interim (Ulhart), C 2v.

⁷⁸ Vgl. Act 20,28.

⁷⁹ Joh 3,36.

⁸⁰ Act 16,31.

⁸¹ Act 14,22.